

B. M. II, 335.

h. 65, 27.

X 1863069

De

MAJESTATE
JURIBUSQVE
BARBÆ,

II h
198

Different in publico

PRÆSES

GEORGIUS CASPAR
KIRCHMAJERUS,

Orator. P. P. Academiae; Senior,

Et RESPONDENS,

CASPAR DANIEL MORHOFIUS,

Kilon. Holsatus,

Die 19. Martii, in Audit. Majori,

WITTENBERGÆ,

Anno cId Idc XCVIII.

17.

WITTENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, ACAD. TYP.

17





B. C. D.

Prodromus.



DE BARBÆ natura, causis, varietate, accidentibus, affinibus, & aliis similibus, post natos homines, huc usque nemo meritus videtur magis aut prolixius, Philosopho *Boxoniensi* arque Medico-Doctore, MARCO ANTONIO ULMO, PATAVINO, in *Barba humana Physiologia*; tribus sectionibus, volumine majori publicato dudum, in *Italia*; & contra *Scaligerianam* barbæ ἐξιδένωσιν, insigni operi, vindictis præmissis. *Majestatem Barbæ* rideant fortasse, qui vel ipsi sunt osiores barbæ, vel humaniores averfantur literas. Ac utinam non esset, cur inpræsens jure vapularet aquila ingeniorum, J. *Cesar Scaliger* ad *Aristotelem*, de *Plantis* commentatus, lib. 2. *Excrementa nullum habent finem ipsa, nisi humoris attractionem; ut pili quidam: qui non aliâ de causâ sunt, nisi, ut ne sint. Pili mystacei crescunt, ut tondeantur. Facti sunt à Natura, non, ut aliquid facerent, sed ut aliquid fierent. Idemque lib. 1. c. 3. f. 57. Edit. Genev. An. 1566. audacius: Pili in homine nulli necessarii: quidam verò adeò sunt inutiles, ut etiam impediunt usum vitæ: cujusmodi sunt ii, quos in superiore labro Mystaces Græci vocant. Nam quod ait Galenus, ad tegendam, homini datos*



à Natura, tollit ejus prudentiam, simulq; elevat eorum fidem, quæ de ipsa prædicabat. --- Caterùm pertinaciæ bujus ineptia in cadaveribus apparet, quibus pilos crescere, manifestum est; cùm tamen illorum nullus sit futurus usus. Hæc cum injuria Creatoris & Naturæ, Scaliger. Pro tegumento pariter ac ornamento, pilos concreavit Deus; masculis, pro testimonio virilitatis, pluribus pro gravitate, Barbam, addidit Natura. Decus & jucunditatem sacer ipse Spiritus, in barba Abaronis, balsamo à capite, in barbam defluente, ponit; Psal. 133, 2. Barba, non in angulum aut circuitum radende curam Sacerdotibus mandavit olim Deus; Levit. 21, 5. Nasiræorum voto qui attinebantur, neque capillum tondere, neque barbam debuerunt. Hoc adstricti vinculo & Simson, Samuel, & plures alii, divinis cultibus peculiariter consecrabantur. Græci Romaniq; capillorum & lanuginis primitias idolis suis, aut fluminibus sacrabant. Hinc Poëta:

Ille genas Phæbo, crinem is pascebat Jaccho.

Veterum Imperatorum alius *Abenobarbi*, ut *Domitianus*, aliusqve *Barbarossa*, velut *Fridericus I.* & Dux gloriosus *Eberhardus Würtembergicus*, *Barbatus*, (r. de pluribus dicamus,) nomina non deprecati sunt. Barbam æstimavit adeò *Caligula*, ut mallet auream, ac inauraret; testimonio *Svetonii*. Quid obstat, ut conciliemus Barbæ majestatem? & illius jura, apud gentes varias, plerasqve sanè, usitata ex antiquitate eruamus, σὺν Θεῷ feliciter!

CAPUT I. De BARBA, ratione Nominis ac Rei.

§. I. Barba Virum quidem arguit, additq; illi gravitatem, neque tamen nomen Barbæ, ut commemorat *Bemannus*, à βαρῦς, βαρῦ, per ἀναδίωλωσιν, deduci debet. Esto, verè

verè scripserit *Lactantius*, de Dei Opificio, extr. c. 7. *Jam*
barba ratio, incredibile est, quantum conferat, vel ad digno-
scendam corporum maturitatem, vel ad differentiam sexus,
vel ad decorem Virilitatis ac roboris; ut videatur, omninò non
constatura fuisse totius corporis ratio, si quicquam aliter ef-
fectum esset. Non hinc ideò conficitur, à gravitate di-
 ctam barbam: sicuti nec *barbarus* à barba, juxta etymo-
 logiam barbaram *Perotti* derivatur. Neque minùs est ridi-
 cula origo barbæ, quam in Lexico *Martinius Mattbias* pro-
 bat à *παρσιās & πῶας*, quasi genæ germen, herba. Hâc nimi-
 rum ratione, post tot literas abjectas, *parpa* demū prodeat.
 Vox *Celtica* se ipsam, per tot prodit linguas, & synonyma:
Bar / Baar / Bare / par / paar / Bart / Barte / Borte /
&c. rem & scriptionem arguunt distinctam. *Bar* vel ab-
 solutè ac seorsum, vel ut terminatio, in compositione scri-
 bitur. Priori modo vox *Germanis* antiquissimis (1) *Baro-*
nem denotat. Eò *Speidel. Webnerus*, omniumque nomi-
 nandus princeps *Strykius* Dissert. de jur. *Baronum* consu-
 latur. (2) Per productiorem tonum *Bar /* quasi *Baar /*
denudatum, & intectum, quod est in aperto, indicat. Quo
 sensu dicimus, *Barfuß wandeln / Barhaupt gehen. Baars-*
frost audit, wenn im Winter das Land / bey hartem Frost /
 vom Schnee entblößet ist. *Schottel. de Germania* antiq.
 jurib. c. 3. n. 3. Posteriori ratione, terminationem indi-
 cat adjectivorum aliquot; in *zinsbar / dienstbar / achtbar /*
ehrbar / &c. *Baar* alioquin *feretrum, sandapilam*, eine
Todtenbaar innuit. Hinc *Baar-Recht / jus feretri, & cru-*
entationis. Quo de ritu veterum videndus iterùm *Schot-*
telius laudato loco, p. 64. n. 4. 8. & seqq. *Bare fluctus,*
 undabundus aquæ motus, eine *Wasser-Woge / Welle /* est;
 cum geminato quoque a a. conf. *Schottel.* in opere Ling.
 Germ. l. 5. tract. 5. p. 1251. *Par* seu *paar / à Latin. pari ; ut*

ein paar Handschuhe/ Pistolen/ &c. item zu paaren treiben.
 Bart *barba*, Barte/ minor est securis, Bord / *ora*, *margo*,
 Borte/ *simbria*. Tot ambiguitatibus vox una, scripta di-
 versimodè, obnoxia. Qui volunt, porrò viderint, an no-
 men *Celticum* à matre primigenia *Ebraea* oriatur? à compo-
 sitis vocabulis בַּר בֶּרֶךְ ; ut per inversionem literæ unius,
 barba *parris filius*, seu *genitura*, propter sexum masculi-
 num, audiat? *Homonymie* etiam annumerari debet, qua-
 tenus *Latina* & *Germanica* vox varia significat; jam homi-
 nem barbatum, aut à barba, uti *Barthium*, *Medio-barbam*,
 (*Amezzobarba*) jam secundariò in brutis, *birco*, *caprea*, *pi-*
sce, jam per similitud. in plant. καρυωνιον , *Bocksbart*; bar-
 ba *Jovis* ap. *Plin.* est arbor consilis hortorum. *Barth*
 quoque loci nomen, ut in *Pomerania*. Barba fluv. *Bri-*
tannie, in *Sigeberti* nominatur *Chron.* *Cometa* genus quod-
 dam etiam à barbæ specie, barbatum dicitur impropriè. *Sy-*
nonyma sunt, *Italog.* atque *Hispan.* Barba, *Galler.* barbe, *An-*
glor. beard, *Polonor.* Broda, per metath. borda, uti *Brada*,
Dalmatis, *Belgisq.* Baert/ *Hebr.* יָרֵךְ à יָרֵךְ senuit.

§. II. Quid barba sit in homine, res notior, quàm
 ut exponi debeat. Qui volet, consulat secundum
 tertiumq; cap. *Ulmi*; ubi per inexistentem faciei pilum,
 mox per pilorum sylvam, copiam & multitudinem inexi-
 stentem faciei, sed incongruè, depingit. Quidni enim,
 potius successiva pars virilis faciei, ori, mento, genis, per
 potentiam masculam, concessa ornamenti, gravitatis &
 operimenti gratiâ, à Creatore, describatur? Partem in-
 tegrantem corporis virilis atque faciei, sed per fluxum suc-
 cedentium pilorum esse, præsupponimus; cùm id accu-
 ratiores *Physici* ac *Medici* demonstrent. Valeant cum
Aristotele Interpretes, qui barbam, semen, unguis, pilos,
 inter excrementa numerant, non sine Dei & Naturæ ali-
 qua

qua injuria, Efficiens formatrix sapientia divina ac Naturæ barbæ est: facultas promovens à mascula virtute testium, asseritur latissimè ab *Ulmo*. Unde ex Autoris mente, prior barbæ finis Physicus vocatur, ut generatricis facultatis masculæ indicium, in facie asseritum staret: ut sic barbâ positâ, ponatur (nisi positum Naturæ sit impedimentum) mascula facultas generatrix; & sublatâ, vel negatâ, etiam negetur barba. Vid. ipse c. 2. sect. 3. Multos quidem alios *Bononiensis* Medicus, ex sententia *Galenii*, *Ciceronis*, *Augustini*, *Theodoretii* fines operosius examinat; quos consultò omittimus, acquiescentes principalibus adductis: unde pulchritudo, dignitas, ornatus, veneratio, (de quibus c. 3. sect. 3. idem egit,) oriuntur.

§. III. Barbæ differentias à tempore, & genere pilorum, à vicinia partium faciei, oris, menti, genarumq; & colorum petere varietate licet. Ratione temporis, sciendum generatim ex *Philonis* libro, de naturæ opific. *Solomonem* sic definivisse:

*Annis ter septem primâ lanugine malas
Vestiet atatis robore conspicuus.*

Septenniis nimirum, vitæ spacia rectissimè partitus *Solomon* est. Inchoamentum barbæ dicitur lanugo; utq;ve Adolescens ipse *vesticeps*. Quibusdam citius, nonnullis tardius erumpit barbæ pilus, & postgenitus vocatur, dum contradistingvitur congenito. Temperamenta variant, subjecta pariter. Intuitu figuræ partiumq; faciei, barba circa genas, *Ulmo areata* alia, ab area sic dicta sect. 1. cap. XI. *extensa* alia in latum, inde *mystax*; (*Rnebelbart* /) promissa & proluxa alia, in longitudinem, jam simul latitudinem. Hinc *rectibarbes*, *crispibarbes*, *longibarbes*, *brevibarbes*, ipsi audiunt; citato supra loco. Barba nigra, alba, flava, rubra, pro colore temperamentoq; varia, & varium

rium de talibus judicium, à Physicis ac Medicis, versatis maximè in Physiognomia, expectandum. Consul. eò *Ulm.* Sect. 3. c. 6. & 7. *Pompeji* item, nostri olim, Physiognom.

CAP. II.

DE MAJESTATE BARBÆ.

§. I. MAJESTATEM asserturi BARBÆ, solâ quidem nominis acceptione variâ, elogium possemus sustinere; dum non sublimibus Personis, rebus, actionibusq; tantum, sed quibusdam etiam circumstantiis locorum carmini item, ac orationi vindicatur. Ut enim à magno majus, sic à magnitudine Majestas, *Cicerone* teste, dicta, dignitatem, decus, amplitudinemq; notat. *Eminenter* Deo competit, & Vicariis illius in his terris, Potestatibus supremis, Admiratur Dei gloriam ac Majestatem *Moses*, *Exod.* 3, 4. & 40. *David*, *Psal.* 18, 29. seqq. & alibi. *Ezechiel*, *Daniel*, non uno loco. Est enim Majestas, quæ cum veneratione colitur, auctoritas. Sic apud *Justinianum* proæm. *Instit.* ac pluries *Majestas* dicitur *Imperatoria*. Scriptoribus vetustis Christianis quandoque etiam *divinitatem ipsam* denotavit. Exempla vid. ap. *Bartb.* X. *Adversar.* 5. ex *Prudent.* & *Radulph. Ard.* De Imperio prædicatur ap. *Curt.* 8, 5. *Horat.* 4. *Od.* 15. *Majestatem* veteres, ut deam coluerunt, & *Gyraldi* testimonio, *Majestatem* quoque salutarunt. De origine *Majestatis*, (quam honoris deam reverentiæq; filiam vocabant,) vide fabulam elegantissimam *Ovidii*, *Fastor.* V. sub init. Auctoritatem *Numinis* designat l. 32. §. 4. ff. de recept. arbitr. & *Principis*, vel *Pop. Rom.* & supr. *Magistr.* l. 7. §. 1. ff. de captiv. l. pen. ff. de just. & jur. l. 9. ff. de jurisd. omn. jud. l. 23. ff. de injur. Hinc *reus*, aut *damnatus Majestatis* audit. *Communiter* jam propriâ, jam & impropriâ significatione gaudet. *Majestatem sacerdotio*, ac *faciali*
Taci.

Tacitus, Annal. 3, 64. &c. adscribit. *Martiali*, nominis *Majestas* magnitudinem ac dignitatem signat. *Majestatem manui*, de *Alcibiad.* gloriatus *Persius* attribuit; Sat. 4. *Majestatem loco* i, e. religiosam venerationem *Livius* ac *Seneca*; quemadmodum *Orationi* *Majestatem*, *Cicero* & *Quintilianus*, sublimitatem gravitatemq; indicantes, vindicant. *Arnobius* l. 4. & *Lactantius*, auditor ejus, l. 2. de Orig. err. c. 6. *simulacris* pulchrioribus, per idololatriam tribui fatetur *Majestatem* à gentilibus; & illis, qui religiosè ista hodieque venerantur.

§. II. *Barba Majestatem* paradigmata loqvuntur & emblemata. *Barbatus* semper figuratur *Jupiter* paganis. Inde *Tullius* de nat. Deor. 1. *Isto modo dicere licebit, Jovem semper barbatus.* Quanquam in *Octavio Minut.* *Felix* non *barbatus* modò, sed *imberbem* quoque *Jovem*, cultum memorat. Idemmet, *Æsculapium* benè *barbatus* adorari solitum fuisse, scribit. Apud *Tiborenses* simulacrum *Æsculapii* marmoreum, cum *barba hirta* pingebatur, testimonio *Pausaniæ* in *Phocic.* *Dionysus* junior Tyrannus, facinus indignum statuens, prognatum ab *Apolline*, simillimo imuberi, h. e. lævi & glabro, *barbatus* ita fingi, suâ spoliavit *barbâ* *Æsculapium* amplissimâ, boni ponderis, & densitatis *Philosophicæ*. Sic contra gentes lib. 6. loquitur *Arnobius*. Philosophi nimirum olim *Stoici* & *Cynici*, prælongo pallio, austero vultu, colore pallido, sylvestri *barbâ*, his se vulgò jactitare siveverant insignibus; ut *Pharisæi* quondam omnibus conspicui. *Herodes Atticus* *barbatus* istiusmodi interrogans, cum stipem peteret, quis esset hominum? severo vultu similiq; objurganti, à Philosopho audivit tali: *Et mirari se, cur, quod videret, quæreret? Video, Herodes ait, pallium & barbam; Philosophum non video.* Vid. *Gell.* 13. N. Att. 8, *Lucianum* itidem in *Icaro Menippo*.

B

Ne

Ne ad plures divertamus, jam sufficiat *Fortuna*; quæ non *Fortis* tantum & *Virilis*, sed *Barbata* etiam appellabatur. Loca multa hanc in rem adduxit *Barnab. Briffon*, l. form. p. 51. seqq. edit. Mog. 1649. De Civ. Dei, 4. c. II. & l. 6. c. I. *Augustin.* plura de *Fortuna* retulit *barbata*.

Barbatos gravitate Senes & Majestate verendos
Quàm venerabile erat, cum priscum cerneret avum!
Inde *Juvenalis* Satyrâ 13. v. 54.

*Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si juvenis vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicumq; puer.*

§. III. Romanorum vetustissimi intonsi barbam capillitiumque erant. Hinc *intonfos avos* nominat *Tibullus* 2. eleg. I. Post, cum cœpissent radi, aut planè barbam ponerent, aut partem aliquam servarent & submitterent, hos delicatulos vocavit *Barbula* faceret *Cicero*, & juvenes *barbatulos*; Orat. pro *Cœlio*, & 1. ad *Attic.* ep. 14. Memorabilis in *Liv.* occurrit locus, Hist. lib. 5. c. 41. de *Gallis* Romanam invadentibus, qui venerabundi intuebantur *Viros*, inedium vestibulis sedentes, præter ornatum habitumque humano augustiorem, majestate etiam, quam vultus gravitasque oris præ se ferebat, simillimos diis. Ad eos velut simulacra versi cum starent, *M. Papirius*, unus ex his, dicitur *Gallo*, barbam suam, ut tùm omnibus promissa erat, permulcenti, *Scipione eburneo*, in caput incusso, iram movisse: atque ab eo initium cadis ortum, ceteros in sedibus suis trucidatos. A temporibus *Augusti*, & jam supra, cum luxuries, & mollities effœminatio viriles corrupisset animos, in delicatioris lexus gratiam injecta manus capillitio & sylvoſæ barbæ; ut, non nisi luctus causâ, ornamentum aleretur naturale. Serius, citius ponebant; sed plerumque

rumque sub XXI. annum. *Macrobius* in *Somn. Scip.* terseptenarium requiri ait, ad radendam barbam, numerum. Atque sic *Neronem* posuisse, colligas ex *Fastis*. *Caligula* vicesimo ætatis anno posuit, malitiâ supplente, ab illicitis amoribus *Drusilla* suæ. *Octavianus Cesar* anno demum XXV. *Dionis* testimonio, Res mira. Aliarum gentium mortales barbam capillumq; , indignationis loco, posuere: *Romanis* placuit contrarium. *Augusto* certè barbam capillumq; summisit, cum *Variæ* cladis accepisset nuntium; *Tranquillo*, in ejusdem vita, observante. Id decentius in luctu tantò illis visum, quantò alienius à *Romanorum* fuit ritibus tùm, barbam alere. De *Germanorù* moribus hæc *Tacitus* notavit: *Aliis Germanorum populis usitatum, rarâ & privatâ cujusq; audentiâ, apud Catos in consensum vertit, ut primùm adoleverint, crinem barbamq; submittere; nec, nisi hoste cæso, exuere votivum obligatumq; virtutioris habitum.* De *Saxonum* antiquâ gente, ad eundem ferè modum *Paul. VVarnefridus*, l. 3. de *Longob. gestis*, c. 7. scribit: *Saxonum sex millia, qui bello super fuerant, se devoverunt, neque barbam, nec capillos incisuros; nisi se de Suevis hostibus ulciscerentur.* Quem morem etiam *Civilis* observavit *Batavus*, cum barbaro se exsolvisset voto (*Taciti* hæc verba sunt, *Hist.* 4, 61.) post coepta demum adversus *Romanos* arma, propexum rutilatumq;ve crinem, patratâ legionum cæde, deponens. Vide, quanta *barba* dignitas! ut inter vota esset. Barbam quoque Deo consecrabant *Monachi* effecti; vid. vitam *S. Wilhelmi Ducis*, c. 23. edit. *Mabillonii*. Hypothecare barbam, formula *Antistitis* est *Tyrri*. Opposuisse barbam pignori *Taubmannus* dicitur, spe lucri stimulatus, lusitans cum *Magno Principe*, Poëta.

§. IV. Nondum à *Romanis* discedemus planè; licet, propter argumenti puritatem, pauca de *Germanis & He-*

brais breviter interferantur. Noti *Hebraeorum Nazirai*, quorum Princeps *Simson* maximè, devotus ritui, ab utero materno; ne de *Samuele* quid adjiciamus. Quanta barbæ, quanta capillitii religio! ut per *κακοζήλιαν* affectarent alii nonnulli. *Lucianus* autor est, in dea *Syria*, sub fin. in Civitate *Syriae, Hierapoli, ac Edesse*, barbas consecrasse suas juvenes, nec non capillos aliquorum consecratos à natiuitate; postea resectos in templo, & in vasculo depositos, pro anathemate. Hæc de se ipso pariter vult intellectum *Lucianus*. *Julianus Imp.* Πύζων dictus est κατ' ἐξοχήν, & hinc effigies illius prolixissimam promittit barbam. *Themistius*, Orat. X. Primis adhuc annis pessimus non planè *Nero Caesar*, barbam primo positurus, condidit in auream pyxidem, pretiosissimis ornatam margaritis consecratos *Jovi*. *Svetonio* in vita ejus referente c. 12. Mutavit ab hæc cerimonia Imperator *Hadrianus*, *Xiphilino* adnotante, primus; qui promissâ semper barbâ fuit, ut vulnera in facie contegeret. Consentit *Spartianus*. Apud *Martianum* quidam, ex religione voti, lanuginem comamq; primam

Pegaseo posuit arma sacrata Deo.

De sacrificio capitis, immunis à novacula, *Tertullianus* consulatur in *Anima*, & de Natali die, *Censorinus*. Liqvet inde, quanta barbæ dignitas religioq; ab his fuerit tributa; ut inter sacrificia & anathemata numeraretur. Testimonio *Capitolini* c. 7. in vit. Imperator *Verus*, ad arbitrium amicæ, barbam posuit; quod datum ei vitio à *Syris* est. *Verus* hic decorus corpore, gemmatus vultu, (*cultu malunt legere alii*,) demissâ aliàs procerus barbâ, tantam capillorum flaventium habuisse curam dicitur *Capitolino*, cap. extr. ut ramenta auri capiti adspargeret. De Imperatore *Commodo* *Lampridius* non dissimilia recenset c. 17.

capillo

capillo semper fucato, & ramentis auro illuminato fuit,
barbam deniq; adurens.

§. V. *Constantinopolitani Casares an fuerint barbati?*
quæritur. *Heraclium Cedrenus* memorat, priusquam Impe-
ratoriam dignitatem adipisceretur, barbam latam & pro-
missam nutriisse, (quod & nummi ejus docent,) sed Im-
peratorem factum, comam pariter ac barbam totondisse,
quomodo Imperatores solent; κατὰ τὸ γένησιον τῶ βασιλικῶ
ἡμῶν. Hæc ad annum primum *Heraclii Cedrenus*. Et
sanè ante eum, barbam in Imperatoribus apparuisse ra-
sam, fidem nummi faciunt, & *Alexandrini* autor Chro-
nici. Verùm ab *Heraclii* temporibus in more fuerat tam
Græcis, quàm aliis plerisque nationibus (ut *Tyrius Anti-*
stes l. II. c. II. tradit,) barbas tantâ curâ & solitudine nu-
trire, proq; summo probro, & majori reputare ignomi-
niâ, quæ unquàm irrogari possit, si vel pilus unicus, quo-
cunqve casu, homini de barba cum injuria detraheretur.
Subjicit deinde: *Græcos eâ barbam diligentiam conservasse,*
ut hinc tanquàm argumentum Viri, vultûs gloriam, præ-
cipuamq; auctoritatem metirentur. Consonat *Niceta* lo-
cus in *Isaia* 1. n. 10. Pertinet exemplum hûc *Davidicæ*
Legationis è 2. *Sam.* 10, 3. seqq. cùm ad *Hanonem*, *Ammo-*
nitarum Regem, Oratores mitteret Rex *David*, indignissimè
id facti tulit, quòd barbam ex dimidio Legatis adimi jus-
sisset *Hanon*. Barbæ rasio, præcipua apud *Francos* habita
injuria; per gesta *Dagoberti* Regis, c. 6, 35. & *Reginon.* ad
Ann. 546. Per barbam & capillos trahere, *Longobardorum*
LL. tit. 6. §. 4. & 2. *Feudal.* 27. injuriæ majoris habebatur
species. Invito barbam contrectare, ignominia non mo-
dicæ annumeratum est. Vid. du *Fresne* in Glossar. Tom.
I. ad h. v. *Balduinus* IV. Comes *Flandriae*, HONESTA
BARBA, nomine velut proprio appellabatur der Ehren-

Bart/ in *Roberti Regis* chartâ, Anno 1023. ut *Fridericus*
I. *Barbarossa*, per contemptum primò dictus est ab *Italis*, de
Noth-Bart.

§. VI. Majores nostri veteres, ab Imperatoribus, ad
mediocri usque dignitatis Viros, ære, nummis, marmo-
re conspicuos, & imaginibus spectabiles accepimus proli-
xis figuratos barbis: quod in facie virili nil venerabilius
existeret, quàm hoc pulcherrimum virilitatis argumen-
tum. Qui profectò gentium consensu stabilitus mos o-
stendit facilè, non minimum conciliare decus Viro bar-
bam, ornamentum Dei & Naturæ ordine concessum.
Barbam igitur, qui Viri sumus, aut videri volumus, non
γυναικονεγτέμυροι, ad minimum effœminati, tueamur. In-
cidit jam non intempestivè una atque altera historia; *Ruf-*
forum prima, altera Legati *Svecici*. Æstate Anno 1660.
Orator *Moscovicus*, ingenti barbâ Vir ac asperi sermonis, ap-
Principem teneriorem, (quem gestaverat in ulnis conjux
Magni Comitis *de la Gardie*,) admissionem petens, aver-
sationi fuit; sic, ut efferendus Aulâ esset *Carolus*. De Legato
Svecico historia (*Rholamo*, nisi omnis fallor?) ad Portam
missa *Turcicam*, hæc seq. Imberbem adeò miratus est *Turca-*
rum Dominus, ut quæreret, an destitueretur Regnum *Sve-*
cia majori prædito auctoritate? Respondisse dicitur Ora-
tor, ad ingenium Poetæ:

Si proluxa facit Sapientem barba; quid obstat,

Barbatus possit quin caper esse Plato?

Canescant alii mento, nos mente; capillus

Non, animus faciat nobilitate Viros.

Apud barbaros hos barba rafa servitutis symbolon. Testis
est de *Ricant* in *Hist. Turc.* part. 3. statûs *Ottomannici*, c. 7.
de *Jannizariis*, f. 136. Sie rasiren den Bart ganz weg/ bisß
auff den Knebel; und dieses ist durchgehends in der *Türcken*
ein

ein Zeichen der Dienstbarkeit. Dahero auch alle Pagen/
Gärtner/Beltagis und Officier des Serrails so wol/ als derer
grossen Herren ihre/ geschoren sind; wordurch Sie erkandt
werden/ daß sie einem Herrn unterworffen sind. So bald
sie aber nicht mehr zu Felde gehen dürffen/oder einiche Charge
überkommen haben/ lassen sie den Bart/ zum Zeichen erhal-
tener Freyheit/ wachsen.

§. VII. Est superioris Potestatis pariter & libertatis
signum, à summissiori barba, per *Turcarum* latepatientissi-
mum Imperium. Disertè Dn. de *Thevenot* in *Itiner. O-*
rient. l. i. c. 18. Der *Bostangi Bachi* (summus hortulanor.
omnium Præfectus,) hat seine Wohnung zu *Constantinop.*
im Serrail, und trägt allezeit einen langen Bart; solchen
darff niemand tragen/ als der Groß-Türk und Er; gestalt
denn die andern alle ein glattes Kinn / zum Zeichen ihrer
Dienstbarkeit/ haben. *Hadrianus* contra nullum, nisi ple-
nâ barba, habuit Tribunum in exercitu. Pontifex ipse
Maximus Urbanus VIII. μακρογύωνι *Helvetio*, & quidem
Barbarossa, homini non magnæ alioqvi dignitatis, pluri-
mum honoris, propter barbæ nimix excessum, licet ex er-
rore, tribuit. P. *Schottus* recitat historiam, narratam sibi
ab αὐτόματι P. *Atbanasio Kirchero*, lib. 3 in *Natur. mirabilib.*
c. 23. p. m. 518. hoc sensu: *Urbano VIII. Summo Pontif.* vir
quidam, *Helvetus* natione, *Romanâ* peregrinatione susceptâ,
post loca sancta piè ac religiosè visitata, ab *Helvetorum* Pon-
tificiæ custodiæ deputatorum summo Præfecto obtinuit, ut ad
osculum pedis & benedictionem Pontificiam admitteretur.
Is tam longam ac latam rufi coloris barbam gestabat, ut to-
tum pectus ad genua usq; tegeret; adeò ut Pontifex, dum eum
in genua provolutum humanissimè alloqueretur, & patriam
patrieq; statum exquireret, Paternitatis titulo, quo Mona-
chos Itali compellant, uteretur; existimabat enim primo a-
spectu

specu non barbam, sed Monachorum scapulare à collo ad
genua defluere, ut ipsemet postea, errorem suum agnoscens,
est fassus. Auctoritatis gratiâ Fortuna fingitur barbata,
teste Augustino, lib. 6. de C. D. c. 1. à gentilibus; barbatus
iple Jupiter repræsentatur à Gyrald. in Syntagm. Deor.
Galli Romam expugnantes, in vestibulis adium sedentes
Viros, (verba Liviana repeto, histor. l. 5. c. 41.) præter orna-
tum habitumq̃, humano augustiorem, MAJESTATE etiam,
quam vultus gravitasq̃, oris præ se ferebat, simillimos diis ar-
bitrati. Ad eos, velut simulacra, versi cum starent, M. Pa-
pirius, unus ex his, dicitur, Gallo, BARBAM SUAM, at tum
omnibus promissa erat, permulcenti, scipione eburneo, in ca-
put incusso, iram movisse.

CAPUT III. DE JURIBUS BARBÆ.

§. I. Jus hic nobis illud denotat, quod fas est & legiti-
mum, in ea gente, civitate, aut familia, in qua vel more
publico, vel scripto, aut statuto, tale introductum est ac
usitatum. Sic jus osculi, & blanditiarum jus, in vit. Claudii
Cæsaris Sveton. c. 26. refert. Fallor? an blanditiarum
jure foeminae petaces & per blandimenta peculiari Dis-
sert. vapularunt? Afficit hoc autem vel personam, rem,
aut actionem. Quæ ad institutum nostrum spectant Ju-
ra Barbae, planè singularia haberi possunt, & trifariam spe-
ctari; ut Ecclesiastica, Civilia, & Oeconomica. Ad classes
has, quæcunque in Antiquitatibus cum sacris, tum profa-
nis, de Barba curiosius vel scripta sunt, vel acta, referun-
tur jam à nobis. Quoniam autem magna inter capil-
litium vicinia & familiaritas, interq̃ve barbam, solet in-
tercedere, ut, quæ uni tantum tribuuntur, alteri non
adver-

adversentur; sæpiùs intelligenda consuetudinis, aut ceremoniæ communio de unâ parte æqvè, ac de altera.

§. II. Ad *Cborum*, Barbæ jura pertinent seqq. (1) privilegium *devotionis*, hominibus religiosis proprium, quales olim *Nasirai*, & abstemii, qui *Arabicâ* radice deditum, virtuti, Numini devotum, ut ab *Ebraeor.* נַסִּירִים separatum, & intactum notant. Autor *Nasiræatus* ipse Deus. Hic Numer. 6, 3. & seqq. legibus præscriptis ordinem instituit *Nasiræorum*, antehac non usitatum in Rep. *Israëlitarum*, ut vacarent cultui divino expeditiùs. Hoc imitati animo non malo, Christiani, tempore inprimis persecutionis, barbam comamq; aluerunt. Collegia hinc orta sodalitiaqve. Etsi enim cum *Job. Caramuele* Disp. 3. in Reg. 5. n. 147. *Benedict.* asserat *Hurtadus*, jam tum *Josephi* Patriarchæ tempore obtinuisse illos, juxta vaticinium *Jacobi*, Gen. 49, 26. res tamen aliter se habet, propter nomen personale נַסִּירִים, aliò accommodandum; ut in *Dictionar. Persic. Latin.* Lexicoqve *Heptagl.* *Edmundus* docuit *Castellus*, cum *Spanhem.* in *Dub. Evang.* 93. & *Leusden.* in *Philolog. Ebr. mixto.* *Nasiræorum* voto tres conceptis formulis prohibebantur res, (1) *Vinum & sicera*, & quicquid prodiit ex *Vite*: (2) *pollutio, à tactu mortui.* (3) *tonsura comæ, ac rasura barbæ.* De postrem. nos hîc laboramus. *Omni diebus separationis suæ, per votum, non transibit super caput ejus* (inquit Dominus) *novacula!* Quod de toto prædicatur capite, non ad solum restringendum capillitium, sed & ad barbam extendendum est. Hoc voti vinculo adstricti *Samson & Samuel* in V. in N. foedere *Johannes Baptista*, *Luc. I, 15.* priusquam nati erant. Qualem enim comæ, talem barbæ curam observari voluit *Jehova*, *Levit. 19, 27.*

§. III. Privilegium devotionis peperit, jus (2) *separationis*; unde & ἀφωρισμένοι, seu κειχωρισμένοι tales au-

C

die.

diebant separati, comæ simul symbolo, & barbæ. Hi autem *Nasirai* vel *perpetui*, qui & *seculi*, vel *temporarii*, qui dierum dicebantur. Illi separatum vitæ genus, quæ & victum, & amictum (veluti *Johannes*) eligebant. Ad hanc formam, Monachorum & tot sodalium, inter Pontificios, Collegia & Ordines refingebantur; sed & moniales: quæ, dum Monasterium ingrediuntur, & castitatis nomine addicunt *Christo* scilicet & *Maria* cultum, in sacello Virgin. suspendunt comam; testimonio *Hurtadi* ap. *Job.* à *Choc-kier* de *Surlet*, in *Historiar. fac. cent. 2. c. 54.* *Judai* olim, ut separarentur à gentiliū rasorum, potissimum *Ægyptiorum*, facie externâ, diserto Domini mandato non attondere per circuitum, cum barbâ, comam debuerunt. Immo Sacerdotib. omnibus, *Aaronis* filiis prohibebatur, *Levit. 21, 5.* radere caput ad calvitium, & *barbâ angulum tondere.* Hæc & alia recogitare eos oportebat, qui *κακοζηλίας* vitio laborant; an quid ejusmodi expressè Deus jusserit? Vid. eò *JConsultiss. Zieglerus* de tonsura Clericor. & *D. Georg. Frid. Meinbard.* Dissert. de *Nasirais.*

§. IV. Sequitur (3) jus unctionis, apud veteres *Hebræos*, comæ pariter, & barbæ Sacerdotibus tributum *Ex. 30. 24.* seqq. describitur, ex quibus debeat aromatum constare speciebus. Balsamum laudatur à *Davide*, *Psal. 133.* quod de capite in barbâ defluebat *Aaronis.* Suberat mysterium in fractione vasis, & effusione *νάροσ πισηῆς πολυτελῆς καὶ πολυτίμη*, super sacrosanctum caput Salvatoris, *Matth. 26. 7.* *Marc. 14, 3.* Multa attulit distinctis libb. *Fortunatus Scacobi* de *Eleochrysmat.* ediditq; *Romæ.* Ad hanc ceremoniam religiosam provocavit *David*, *Psal. 23. 5.* *Du salbest mein Haupt mit Del.* Sacro unctus oleo, à *Samuele Saul* in Regem, *1. Sam. 10, 1.* & *David*, *1. Sam. 16, 13.* Hunc quoq; ritum per *κακοζηλίαν* æmulantur, quibus non est impera-

peratum, à *Jehova*. Quisquis volet, credat, aut miracula impugnet olei, demissi coelitus, quo ungi *Galliar*. Reges solent ab Archiepiscopo *Rhemensi*. De hac ceremonia solenni plura memorat in Regni *Francia* Notit. *Limnaeus* lib. 1. c. 12. de sacris *Franciae* Ampullis, & lib. 2. c. 4. de *Coronat*. atque *Uction. Reg. Francia*.

§. V. Primitias & hominum, & fructuum, & animalium mundorum, jure aliquo præcipui, S S. Numen sibi olim, consecrari voluit, & sacris operantibus ministris exhiberi redimive. Idem sibi, per *κακοζήλιαν*, rapuit honoris, Dei simia; hinc (4) *Consecrationis* jus, à capillitio & barbi quoque fluxit. Sacerdotes antiquissimos *Aegyptios* rasisse totum corpus atque depilasse barbam quidem, sed non, consecrasse, prodidit *Herodotus* 2. lib. quod ex *Diodori* etiam colligas *Biblioth.* Autor est *Pausanias* in *Corinthiac.* puellas virgines, cum iniissent matrimonium, primitias deabus suis consecrasse comæ, atque ante nuptias detonsam intulisse templo. Hæc de *Sicyonia* ac *Tbrazenæ* memorat puellis. *Delpbos* miserant primitias *Athenienses*. *Græci Romaniq;* superstitioni circa capillitium, & barbam maxime fuerunt. De ritu tonsuræ capillorum *Tbesei* primorum, in ipsius vita, quædam memorat *Plutarchus*. Diem festum pariter *Athenis* agitabant, quo primitiæ resecebantur crinium, & offerebantur Diis, ab his, qui tùm excesserunt ex ephebis. Inter Deos quoq; numerabant flumina, in primis capita illorum. Sic *Achilles*, ap. *Homerum*, *Cæsariem* abscidit flavam, *Sperchioq;* consecravit, fluvio, *Iliad.* ψ. vers. 145. seqq. cum hecatomba sacra fanum & altare erigens. Ad quem locum eleganter scholiastes *Didymus*: Ἐθῶ ἦν, τοῖς δεχάοις, μετὰ τὸ ἑρακμάσαι τῆς νεότητὸς τὰς κόμας ἀποκείρειν τοῖς ποταμοῖς, & quæ sequuntur. Tangit & *Theodoretus* quæst. 28. in *Levit.* c. 19. *Moris* erat, inquit, apud

Gentiles, in pueris extremitates capillorum non attondere, sed Casariam promitti, & post tempus aliquod Damonibus offerre. Offerebant Phæbo quoque has primitias. Hinc Martialis lib. I. Epigram. 88.

*Hos tibi, Phæbe, vovet totos à vertice crines
Encolpus Domini Centurionis amor.*

*Grata pudens meriti tulerit cum premia pili,
Quamprimùm longas, Phæbe, recide comas.*

In Dea Syria, circ. fin. Lucianus de Trazenis retulit, adolescentes barbas consecrasse; seq; juvenem fecisse idem, confitetur, cum inscriptione nominis, capillos in argenteo (aureo) reponentem vase.

§. VI. *Juvenalia* è Dione Cassio depingens Xiphilinus, in Neronis vita, festum ab Imperatore celebratum, sic descripsit: *Celebravit festa generis alterius, quæ Juvenalia, (Græcus quoque Ἰουβενάλια appellat;) ea, propter barbam ejus, quæ tùm primùm rarsa fuerat, facta sunt. Cujus pilos in spheram auream conjectos, Jovi Capitolino consecravit. Festos etiam agitalse dies, propter pilos positos Avitum, in ipsius vita Xiphilinus prodidit. Svetonius in vit. inter buthyse (torticiidiorum) apparatus, ait, primam posuisse barbam Claud. Neronem, conditamq; auream in pyxidem, pretiosissimisq; margaritis adornatam, Jovi Capitolino consecrasse. Signum Veneris marmoreum adjectum, Arbiter notavit in Satyricis. Ponebant seriùs, interdum citiùs, plerumqve sub atatis annum XXI. Macrobius in Scipion. somnio, ter septenarium requiri ad radendam barbam, numerum, affirmat, Cesar interim Caligula XX. ponebat anno; XXV. demum Octavianus. Hadrianus autem aluit promissam, ut faciei vulnera contegeret, referente Spartiano, in ejusdem vita. Erant etiam (ut Censorinus l. de natal. die scribit,) qui, pro bona corporis valetudine*

dine pascebant crinem *Diosacrum*. Singulare pariter recenset hoc *Josephus Laurentius, Lucensis Italus, Polymath.* l. 2. dissert. 6. comam à peregrinantibus & barbam Deo alicui consecratam. *Flaccus* sanè cecinit in *Argonautic.* l. 1.

Tectus & Eurytion servato colla capillo;

Quem pater Aonias reducem tondebit ad aras.

Differentiæ id intererat, ut primum crinem *Æsculapio* voverent masculi, aut *Baccho*, primam autem barbam *Curotropho Phæbo*. Hinc Pœta:

Ille genas Phæbo, crinem is pascebat Jaccho.

Interdum & *Penatibus* sacrabant; veluti *Capitolin.* *Jovi Cæsarium* portentum, *Nero*.

§. VII. Ad *Forum* rectè referas, civilem ob respectum, Barbæ jura hæc (1) *contactum barba in pangendo fadere paceq; sancienda.* Ritum hunc & doctè & prolixiusculè *Vir Summus, verusq; Polyhistor, Barbicus* in *Adversarior.* lib. 51. c. 7. exposuit. *Barba apud plures gentes magna fuit veneratio, magna item religio.* Apud *Gothos & Francos veteres, qui in fœdera arctiora & durabiliora convenire velent, veluti pignore sacro interveniente, barbam alter alterius tangebant.* De duobus Regibus, *Francorum Hlodovao, & Gothorum Alarico*, qui *Tolose* sedem habuit, post multa prælia, quæ invicem gesserunt, intercedentibus Legatis, cum pacem inire cœpissent, convenit, ut *Alaricus* barbam *Hlodovai* tangeret, patrinus hinc effectus, perpetuam ad invicem servarent pacem: ut *Rhapsodus & Chronologus Collector*, lib. 3. ex *Idatio*, ut præfert titulus, recenset. (2) *In adoptionis ritu celebrando.* Adoptandus etiam ab *Alarico Hlodovao* barbam Regis tetigit. Sic enim *Aimoinus* in *Historiar.* lib. 1. de *Francor. gest.* c. 20. *Miserat legatum Hlodovæus, nomine Paternum, ad Alaricum, tum Reg. Gothorum; ut, quæ pacis essent, cum eo tractaret: & Alaricus,*

*juxtà morem antiquorum, barbam Hlodovæi tan-
gens, adoptivus ei fieret pater. Mos antiquos audit,
tangere hoc modo barbam. Franci veteres, sub primis
Regibus, i. e. Genebaudo, Esatecho, Asarico, Malaricho
Mellobaudo, Genebaldo, Theodemiro, Marcomiro & Suno-
ne, diu ante Pharamundi tempora vocabant actum hunc
Suonex & Sonen i. e. svaviari, expiari, söhnen / versöhnen /
aussöhnen. Vid. eò Joh. Isaac. Pontan. Origin. Francic. l. 3.
c. 7. & l. 4.*

§. VIII. Res quidem est ridicula, sed vera tamen, *bar-
bam* (3.) *jus oppignorationi etiam dedisse.* Apud barbaras
Orientales gentes quanti semper æstimata barba fuerit, e-
xemplis infra adducendis ostendemus. Possis inde hoc
cognoscere, quòd pro omnium pretiosissimo cimelio pi-
gnori opposita sit barba. Memoratu dignum id, quod
Jacobus retulit à Vitriaco, c. LXXV. Hist. Oriental. (qui
Cardinalis & Episcopus Tusculanus floruit A. 1239.) Cùm
Comes, inquit Edessanus, Balduinus, more Orientalium,
*barbam nutritisset, eò, quòd filiam Ducis nobilis, Armeni
natione, sed Græci fide, nomine Gabrielis, in uxorem duxis-
set, ut à socero suo divite, ipse pauper, posset extorquere pe-
cuniam, dixit ei, quòd necessitate coactus, barbam suam,
pro magna summa pecunia quibusdam creditoribus suis
obligasset. At ille dolens, & admirans valdè, & oppro-
brium sempiternum filie sue, & generis sui, metuens extare,
Triginta millia Bisantiorum hac conditione dedit illi, quòd
de cætero nullâ paupertate compellente, nullo casu contin-
gente, barbam suam presumeret obligare.* Inter alia Taub-
manni olim nostri facta lepidissima, & hoc refertur, quòd
cùm Saxon, Electore Sereniss. Christiano II, de pecuniæ
insigni summa collurus, ære tamen destitutus, barbam
æstimari suam alex submiserit, & amiserit.

§. IX. Ad

§. IX. Ad seria hoc autem pertinet *jus Barba* (4.)
in susceptis votis actibusq; obligandi. Perquam familiare
fuerat Germanis priscis, oris habitum votivum observasse de
Civili, *Batavo Hist.* 4. 61. 1. *Tacitus* appellans votum qui-
dem barbarum, recenset, quod post coepta adversus Roma-
nos arma, proprium rutilatumque crinem, patratâ de-
mum cade legionum deposuerit! De *Langobardor. gestis* l. 3.
c. 7. *Paulus Warnefridus* retulit: Sex millia quoq; Saxonum,
qui bello super fuerant, se devoverunt; neq; barbam, nec
capillos incisuros, nisi se de Suedis hostibus ulciscerentur.
Conf. & Gregor. Turonens. lib. 5. c. 15. De *Francis* veteribus
Sidonius Apollinaris geminum in more illis positum fuisse,
prodidit memoriæ; quam in rem consule *Pontan.* lib. 6.
Orig. Franc. c. 18. ubi *Bellomerus Mummolo Francorum* dedi-
tus, per omnia exercituum castra tractus legitur, caesarieq;
ac evulsâ barbâ, ignominiosè spoliatus.

§. X. Mirum tamen est, antiquos modò in mœsti-
tiæ & vindictæ, modò in lætitiæ affectu barbam capillumq;
rasitasse nunc, nunc summisisse. Hicque ritus vel ad vo-
tum evaluerat, vel ad miseriæ, & luctus publici signifi-
cationem exprimendam. Quis obtinuerit respectus ap-
(*Cæsarem*) *Svetonius* in vit. c. 67. refert: *Diligebat usq; ad e-*
(*militem*) *ut auditâ clade Titurianâ, barbam capillumq;*
summisserit: nec ante dempserit, quàm vindicasset. Gen-
tium aliarum homines in mœrore aliquo, vel indignatio-
ne, barbam capillumque posuerunt. Contrarium Romanis
institutum placuit. In luctu id decentius illis visum, quan-
tò alienius à Romanis erat, barbam alere. Sic cum *Au-*
gustus Variana cladis accepisset nuntium, *summisit capilli-*
tium & barbam, testimonio *Tranquilli* pariter, in vit. c. 23.
Apud Catts (Germanorum quondam nobilissimos) in-
consensum memorat vertisse *Tacitus,* in moribus illorum,
us pri.

ut primum adoleverint, crinem barbamque summittere, nec, nisi hoste caso, exuere votivum obligatumque virtutioris habitum. Super sanguinem & spolia revelant frontem. --- Ignavis & imbellibus manet squalor. Squalor nempe erat capillitium intonsum, male pexum, horridum barbitium ac obsylvescens. Doloris, nec vindictæ, signum erat in Caligula, barbæ capilli que, ob Drusillæ obitum, prolixitas, Svet. c. 24. Frontinus, autor, l. 4. Stratag. c. 5. Varronem tradit, à Cannensi clade semper eum barbam capillitiumque summississe.

§. XI. Hinc apparet (§) in privato publicoque luctu barbam apud hos summissam esse, apud alios derasam. De priori modo constitit; conferri eò poterunt exempla plura ap. Liv. l. 6. M. Manlii Capitolini conf. Liv. 44, c. 19. ubi Legati Alexandrini sordidati promissiore capillitio & barbâ quiritantur & ap. Virgil. 3. Æn. v. 593. dirâ squalidus illuvie supplexque, miserando cultu Achaemenides, immissâ barbâ dicitur apparuisse. Ubi per immissam intelligitur prolixa & neglecta, & notari error debet, quem Marcellus Donatus, Ponz. Corn, ad Svetonii Caesar. v. 76, dilucidation. hactenus commisit, dum ex Non. Marcello docuit, Historicum Sisennam complures menses barbâ immissâ, capillo tonso, lugubri vestitu, populum vicatim, unâ cum liberis, circumivisse flentem, ait. Qualia ex Sisenna, sed non de eodem Nonius affirmat, Plinius junior Epist. 27. l. 7. horribile apparens spectrum, macie confectum senem, promissâ barbâ squalidum commemorans, ostendit, Romæ positum in more, ut summitterent capillum rei criminis. Contrarius tonsuræ ritus extitit Ebrais pariter, ac Grecis, ad gravissimi expressionem luctûs. Ne de Jobo, c. i. v. ult. adjiciamus aliquid, ex Esai c. 15. 2. Moab ululabit, dum in onerium capitibus calvitium, & omnis barba rasa. Conf. Jerem.

Jerem. 48. 37. *Ap. eund. c. 41. 5.* De *Sichern, Silo, & Samaria*, Viri LXXX *barbam rasi, scissis vestibus plangentes* veniunt. *Scribarum princeps Esdra de seipso, c. 9, 3.* *Scidi vestimentum meum & pallium, & depilavi capillitium, & barbam meam evelli, & sedi mœrens.*

§. XII. Populorum antiquissimi *Ægyptii*, addicti superstitionibus præ ceteris, ac *Scythia*, quique ab his orti sunt, *rasuram capitis & barba coluerunt in feralibus.* *Plutarchus* libro, de *Osiride ac Iside*, familiam mox totam radi solitam fuisse asserit, si canis etiam acceptior in domo mortuus fuisset. Eadem inculcat *Diodorus Siculus* *Hist. l. 1.* *Καὶ καθ' ἣν μὲν οἰκίαν εὐρεθῆ κύων τε τελευταίως, ξυρῶνται πάντες οἱ κατ' οἶκον ὄντες ὅλον τὸ σῶμα, καὶ πιῖνται πένθ.* *Totum,* ait, *Corpus rasum.* Itaque non solum caput atque genæ, sed & supercilia, & loca reverentia inspectionem. Ac de superciliis *Artemidorus* lib. 1. c. 27. τὰς ὀφρύας nominat: *Mos vetus*, inquit, *in luctu supercilia nudari.* Disertissimè *Ambrosius* confirmat lib. 6. *Epist. 36.* nec non *Theodoretus*, quæstionib. in *Deveron. c. IV.* adde *Jul.* quoque *Firmic.* lib. de error. Religion. profanar. Etsi etenim *Herodotus*, 2. lib. in *Euterp.* stare videatur pro contraria sententia; *Kirchmannus* tamen eam studuit cum aliis Historicis conciliare, lib. 2. de funer. Rom. c. 14. Idem inter plura istiusmodi exempla *Persas* quoque numerat rectissimè, non homines duntaxat, sed & eqvos & jumenta totondisse in solenni luctu. Obitum *Germanici* tam impotenter barbarorum Regulos luxisse memorat *Svetonius*, in *Caligul.* ut posuisse *barbam* asserat, in luctu tanto. Nummus elegans & rarus à *Rubenio*, in re vest. huc spectans exhibetur.

§. XIII. Post devictos *Medos Persasq;* *Alexander M.* mores atq; habitum induerat illorum; mortem igitur *He-*

D

phs.

phæstionis amicissimi, tam tulerat immodicè, ut luctus gra-
 tiâ (*Plutarchi* verba sunt, in vita *Alex.*) equorum mulorum-
 que omnium tonderi jubas iusserit, & tiliarum Musicesq; u-
 sum inhibuerit tantisper, dum oraculum allatum ab *Ham-*
none, sacrificia *Hephestioni* ac honores veluti, *Heroi*, offerren-
 tur, imperasset. Conf. & in var. hist. lib. 7. *Ælian.* c. 8. Si-
 mile de *Persis* factum retulit *Herodotus* in *Musa IX.* seu
Calliop. de *Masistio* insigni duce, ab *Atheniensibus* occiso;
 quem, *Mardonii* mandato, *Persæ* adeò luxerunt, ut seipsos,
 & equos, & jumenta omnia totonderint. Antiquiores
Græcos pariter hunc observasse ritum, ut in funeribus *He-*
roum & celebrium Virorum ponerent capillos, *Dictys* pro-
 didit *Cretensis*, lib. 5. de bell. *Trojan.* circa fin. in *Ajacis* fu-
 nere per triduum suscepto, Reges cunctos, apud tumulum,
 deposuisse comam. Apud *Statium*, *Thebaid.* l. 6. *Lycurgus*
 in *Archemori* filii funere comam legitur & barbam toton-
 disse. Conf. in eod. lib. aliud exemplum, vers. 173. atque
 eò *Θαυρασις Barbii* animadversiones. Multa ex *Homero*
 & *Virgilio* de *Græcis*; de *Romanis* ex *Ovidio*, *Propert.* *Catul-*
lo, *Seneca* Philosopho, & *Tragico*; id genus alia enumerat
Marcellus Donatus ad *Suet.* *Cæs.* c. 67. Add. & *Briffon.* l. 2.
 de *Regn. Pers.*

§. XIV. Necdum quicquam adhuc commentati su-
 mus (6) de peculiari jure barbae, in jurisjurandi formula,
 & confirmanda veritate. *Saxones*, ut olim veteres *Ger-*
mani, barbâ rasâ frontem revelabant, relicto ignavis ac
 imbellibus (ut *Taciti* utamur verbis, de *Germ. moribus*,)
 squalore, mystaces tantum promittebant. Hinc, cum *Ot-*
to M. Imperator postea prolixam, contra morem veterem,
 nutriret barbam, insolens agnoscit factum *Witichindus* lib.
 I. *Annal.* sed magnum barbâ magnis inde pretium acces-
 sit; quod *Cuspiniano* referente, Imperator ipsemet in ve-
 nera-

neratione aded haberet barbam suam, *ut per hanc juramentum etiam conciperet, diceretq.* A quo licet fuerit recessum more, inter Viros principes, ætate *Friderici I.* cum prolixioris pili admodum squalorem fastidirent, teste *Radevico*, lib. 2. c. 77. *Aures vix superjacentibus operiuntur crinibus, tonsore,* pro reverentia Imperii, pilos capitis, & genarum assiduâ succisione *decurtante.* Cumq; pluri mi ex sacro ordine submittere solerent barbam; ut, illa oris hispidi caligine gravitatem aliquam sanctitatemqve mererentur, decreto cautum est, ne barbam alere amplius *Equitibus Teutonicis* fas esset; *Polydoro Vergilio*, post *Chronicon Borussic.* commemorante. Per tonsuram, s. coronam clericalem, olim quoque jurabatur; *Augustino* teste. Vid. eò *Ziegler.* dissert. de Tonsur. Cleric. §. 8. ubi ridicula aliquot de tonsæ barbæ pariter & comæ retulit in seqq. §. 35. & 36. Hodieq; juramenti sanctitas *per barbam propriam,* aut patris, *Sultaniq;* caput confirmatur, ap. *Turcas*; observante *Eduard. Brouvnio* lib. 1. Itin. Orient. c. 22. conf. & *Tavernier,* in Itiner. & *Mandeslov.* in *Indic.* cum commemorarentur *Agra.* Inde barba ap. *Stat. Sylvar. 2.* dicitur *jurata*; quam parentes vel alumni puerorum à *Fortuna* flagitaverant barbata.

O ubi ventura spes non longinqua juventa,

Atq; genis optatus honos jurataq; barba!

Fallor? an *Hispanis* hodieqve usitatum est, per propriam jurare barbam?

§. XV. Quid verò tribuendum *juramento* sit, *per barbam factò?* si quærat, respondemus: Aliud divinum, aliud humanum, idq; vel κατ' ἀνθρώπων, vel κατ' ἀλήθειαν, judicium de juramento tali esse. Ex decisione *Christi,* Matth. 5, 34. Nec jurandum est *per cælum,* nec *per terram,* nec *per caput*; cujus pars est capillitium & barba. *Sermo autem vester ita, vel non sit.* v. 37. *Justissime*

Justinianus Imp. illum, qui per caput Dei, aut capillum jurat, ultimo supplicio afficiendum statuit. Latine ita reddidit *Julianus Patritius* Novell. Constit. 21. *Si quis per capillum Dei, vel caput juraverit, officio Praefecti Urbis ultimo supplicio subjiciatur.* Jurabant, pejerabant, non per genium duntaxat Principis, *Romani* infideles, sed & per *Jovis* genium. *Minut. Felix* autor in *Octav.* fuisse tutius, per *Jovis* pejerare genium, quam *Regis*. Pejerantes per Deos, non puniebantur jure civili: contra si quis per Imperatorem pejerasset, fustibus castigabatur. Testis *Harmenopulus* in promptuar. Jur. civ. l. 7. tit. 1. Prolixius adduxit locum *Geverbart. Elmenhorst.* in Comment. ad *Min. Felic.* cui adde *Lips.* ad *Annal. Tac.* l. 1. Christianos veteres jurasse memorat *Tertullianus* per salutem Principis, augustiorem Geniis omnibus; non improbante *Grotio*, de J. B. & P. l. 2. c. 13. qui & *Josephum*, per salutem *Pharaonis* statuit jurasse, & per *Eliae vitam, Eliseum*. Temerè induci nos non patimur accedere, per Genium Principis jurasse veros & constantes Christianos. Vid. *Desid. Herald.* in *Apologet. Tertull.* p. 125. Deposuissent enim sacramentum opidò idololatricum, per Genium jurando Principis, participem divinitatis, vindicemq; fraudis atque occultorum. Ad *Jerem. Setser.* de Juram. l. 1. c. 15. n. 35. *Dn. D. Dannbauerus* in *Colleg. Decalog.* n. 501. seq. censet, obligare juramenta istiusmodi illicita finaliter, sed non formaliter; quandoquidem per ultimam analysin, ex animo jurantis, feruntur in Deum. Ut si *Turca* per *Alcoranum* juret; non *Alcoranus* obligat jurantem, sed punit Dominus fallentem. Qualis fuerit *Josephi* atque *Elisei* contestatio adjuratoria? ad loca isthæc *Senior Waltberus* docuit in *Harm. Bibl.* & ad *Grot.* cit. libri cap. *J. Criff. Zieglerus.* Juramentum nempe præstitum per deos falsos, sicuti verum juramentum non

non est; sic nec verè obligat. Potest obligare tamen e-
nm, à quo proficiscitur, ex conscientia erronea. Et studi-
osè distinguendum *juramentum* est *illicitum*, à *juramento a-*
liquo, de re illicita. Sic juramentum temerarium, aut pro-
digè promissorium, si dolo metuvè sit extortum, est illici-
tum à vitiosâ qualitate equidem; sed tamen validum.
De re illicita, prohibita divinis humanisvè legibus, inva-
lidum.

§. XVI. Mos est abominabilis, adhibitus à *Deuterio*,
Episcopo *Arriano*, qui, quem baptizare hominem debebat,
barbam fonte sacro lavit, verbis additis: *Baptizo te barba,*
in nomine Patris, per Filium, in Spir. S. statim igitur dispa-
ruisse aquam, *Paulus* retulit *Diaconus* in *Hist. miscell. lib.*
15. c. 9. Viderint, quàm longè absint, qui *Campanas* quo-
que, nomine imposito, baptizant. Turpis etiam is mos,
corradere à barbis rasitandis nummos. Ad cogendum æs,
& expilandos subjectorum loculos, gens nulla *Gallis* est in-
geniosior. Nî rarus penè ordo Clericorum omnis esset,
totum augurarer brevi fore depilem, à Gallicis inventio-
nibus. Tale institutum fuerat *Francisci I.* cum, ut pecu-
nias à sacrificulis faciliùs extorquere posset, *barbas omni-*
bus Ecclesiasticis abradi jufferit; ingenti ergo redemerunt
barbas pretio. Pro Sacerdotum barbis loquitur *Oratio*
Valeriani & Pierii, vid. *Camerar. Hor. Subc. Cent. 3. c. 96.*
Mos intolerabilis, & penitus infamis apud gentes quas-
dam Orientis maximè, *Sinenses*, (qui cum vita pariambu-
lare passu barbam suam æstimant,) vel *radere*, vel *vellica-*
re illam. Dictum est de ignominia radendi, evellendi au-
tem barbam, & in vito ressecandi, amplius constabit. Au-
tor *Ultimus* asserit de *Barb. sect. 3. cap. 3.* *Viri nomine*
habitum indignum illum olim, cui judices evulsionem
barbe irrogassent; quando nempe impotentiam viri-

lem tali exprobrare vellent. *Pererius* hanc respicit 2. Sat.

Accircò stolidam præbet tibi vellere barbam

Juppiter.

Viri boni & veracis etiam non esse statuebant, superbire barbâ, & mentiri tamen. Inde *Phocion Atheniensis* (ut in vita ejus prodidit *Plutarch.*) barbam *Alcibiadis* prolixiorẽ tangens, quòd aduabundus grata diceret in vulgus; *hæc insignia*, inquit, *boni Viri te deponere oportuisset, priusquam mentireris.* Sic *Venedi Laitici*, *Dithmaro* teste, juraturi radere barbam assolebant; tamen perfidi.

§. XVII. Speciatim de *Sinensibus* tenendum, quòd *Martinus Martini*, sacerdos Ord. *Ignatiani*, diu apud eos conversatus, refert de invasione *Tartarorum* in Imperium *Sinense*, ac in *Sinico Atlante*: Extrema passim omnia *Sinenses* ante seculi dimidium à *Tartaris Orientalibus*, majori patientiâ tulere, quàm cum ad rasionem capillitii ac barbæ cogerentur. Actos tùm in rabiem fuisse, *Sabrius & Neuhof* in Itinerariis testantur suis. Sed nec tangi alienâ manu, multò minus vellicari permittebant, citra ignominia; infamiæq; notam. Fatui hominis ac *Babæ* alicujus, stolidissimiq; hominis esse rati, barbam suam petulantibus ludibrio exponere vellendam; si non possis non effugere. Familiare *Græcis* quoque erat & *Latinis*, ut, illudere queis vellent, barbam illis vellicarent. *Dionysius, Sicilia* Tyrannus diis barbam legitur vulsisse atqve detraxisse; quando dictis jocularibusqve factis sacrilegia prosequeretur sua; *Casaubonus* docuit in *Commentar. ad Pers. Satyr. 2. p. 194.* *Stoicis* Philosophis quibusdam illudentes pueri ac petulantes, vellicabant barbam; patientiam fatigaturi & avaritiarum talium. De *Papyrii Rom.* senis barba, *Gallia* alicujus levitate tacta constitit. De pœna expilatæ barbæ, quin & comæ, textus loquitur *Feudal. 2, 27.* *Si quis aliquem ceperit,*

perit, crines ejus aut barbam expilaverit: X. libras ei, cui injuria illata esse videtur, per compositionem impendat, & judici XX. libras persolvat. Conf. Accursii marginal, not. ad tit. ff. de damno infecto; & de expilat. barb. Saubertum in Sacrific. c. 10. p. 235.

§. XVIII. Privilegium auctoritatis aut spectaculi (dixissem ferè spectabilitatis) quaesiverunt homines non tantum barbari, insigniter barbati, sed & Aulici, magniq; Viri alii. Vidi, ait Georgius Marggravius, 8. lib. de indigenis Brasiliae, c. 4. f. 268.) multos Aethiopes senes, barbâ magnâ & canâ canisq; capitis capillis. Lepidum spectaculum in cute nigra! Testimonii Gasparis Schotti lib. 3. mirabilium Naturæ ac Artis, c. 23. §. 2. apud Chineses in veneratione sunt, qui longas latasq; circumferunt barbas. Hoc scientes Europæi, maximè qui Christi Evangelii deprædicandi causâ, ad remotissimas gentes navigant, quàm longissimam possunt, enutriunt barbam. Horum duos è China reduces vidi Romæ, P. Martinum Martinium, Tridentinum, & P. Michaelem Boymum, Polonum; quorum uterque, quoniam idem iter remeriri cogitabant, (& vero etiam remenssi sunt feliciter,) non sine cura longissimas suas apud nos quoque nutriebant barbas. Idem alibi, lib. 3. c. 34. §. 1. ex Historia monstror. Aldrovandi retulit: Vidisse se mulierem exteram, feraci capillorum capite adeò, ut crines explicati pertingerent ad terram usque. Ideò ad quæstum peregrinabatur, dum crines explicando, magnâ cum admiratione se spectandam exhibebat. De Johanne Stainingero, Pranoviensi Augustano, D. Christoph. Ludov. Dietberrus, Jctus & Advocatus Noricus recenset inter alia, de barbis, ἀξιωματικῶν, eundem aluisse barbam, $3\frac{3}{4}$ ulnar. breviorum longam; quæ, post mortem ejus resecta, clinodij instar asservata fuerit. Prolixiorem barbam aluisse Equites

EX


ex Ordine Teutonic. *Limneus* docuit in J. P. lib. 6. c. 2. n. 58. prærogativæ gratiâ nimirum. *Cygnæ* Senatorum privilegium, concessum ab *Henrico III.* Imperatore, requirebar, *ut mystacem alerent, sed sine capillitio.* Autor est *Calvisius*, Rom. Pontifici *Polonos* promississe, *se non ultra aures alituros capillitium.*

§. XIX. Singularia & curiosa quædam addi possent; si vacaret amplius. E. g. (1) de *Mulieribus barbatis.* Sed eò consulatur *Aldrovandus* c. 1 de *Monstris*, f. 213, edit. *Bonon.* & in *Thavmatolog. Jonston.* class. 10. c. 7. art 6. *Ipse ego* (scribit *Schottus* 3. *Mirabilium* c. 32. §. 2.) *vidi in Sicilia mulierem, quæ barbam sat longam ac densam ostentabat; nisi eam identidem præscinderet.* De *fœminis barbatis* multa etiam *Zeiller* 9 cent. 4. quæst. 6; 4. (2) de *præmaturè barbescentibus.* Sic *Ludovicus Vladislai* filius, *Hungaria* infelix, contra *Solymannum*, Rex, natus A. 1506. Kalendis Julii, adolescentulus novennis, factus vesticeps, prolixiore barbâ. Præcipiti Natura fato nihil non anticipaverat, adolescentiam, virilitatem, barbam, nuptias, & canitiem. Vid. *Frider. Luca* in *Silesia* *Curios.* part. 1. tit 6. p. 135. Sed citò perit, quod citò factum. Nanus aliquis ex utero materno prodiit pubetenus cum pilis, ætatis anno septimo barbatus; ap. *Nieremberg.* *Hist. Nat.* l. 5. c. 16. Qualis fuerit *Esavus*? exprimit S. S. Gen. 25. (3) De *barba Caroli M.* quæ qualis quæ statuenda? *Philoponemate* exposuit peculiari Dn. *Freherus.* Summus Vir, Reverendissimus *Luccensis* Abbas, Dn. *Gerhardus*, Incomparabilis numarii Musei veteris & novissimi, possessor, exaratis, ante hoc bienniū, literis sic informavit nos: *Quæ vera fuerit Caroli M. barba, id verò scire te fateor juxta cum ignarissimis.* *Hub. Golzius* in *Historic. relatione* p. 219. *barbam nobis Carolinam exhibet oppidò mirabilem & bifurcatam, & in caudam Draconis tantum non desinentem.* Longè aliter videtur Dn. *P. Mabillonio*, *barbam assignanti Carolo prolixam & decorã satis; forte contra numerorum fidem.* — Tu si quid novisti rectius istis, Candidus imperti; Si non, his utere mecum.

S. D. G,

1077

11.5



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Kodak
LICENSED PRODUCT
Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

